



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. I. Quàm sciendi appetens natura hominum sit: deque quatuor
conditionibus, quas praecipuè in rebus noscendis requirit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)



DE
COGNITIONE
DEI
CAPUT I.

Quàm sciendi appetens natura hominum sit, deque quatuor conditionibus, quas præcipuè in rebus noscendis requirit.

Insitam à natura homini esse aviditatem sciendi, manifestius patet, quàm ut Aristotelis testimonio egeat, suos hinc Metaphysicorum libros exorfi. *Quid porro? inquit Seneca: (de otio Sap. c. 32.) Hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit quantum cupiditatem habeat ignota noscendi? Navigant quidam, & labores peregrinationis longissimæ una mercede perpetiuntur cognoscendi aliquid abditum, remotumque; Hæc res ad spectaculum populos*

A

los

*los contrahit : hæc cogit præclusa rimari , secreta
 exquirere , antiquitates evolvere , mores barbararum
 audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium
 dedit. Ità profecto : tam noster , quàm communis
 aliorum sensus humanâ quavis auctoritate luculentius
 id probat. Cùm nemo occurrat , vel natione adeò
 barbarus , vel ingenio tam hebes , qui rerum novarum
 auditione non admodum delectetur : quique , si
 liberalibus disciplinis dare operam prohibitus fuerit ;
 earum tamen gnaros non suspiciat , felicesque &
 dignos invidiâ arbitretur. Ullâne alienior à
 studiis est , quàm puerorum ætas ? Et tamen quàm
 sæpè hos videas , fabulosis narrationibus adeò
 intentos vacare , ut nullâ interim , non suorum
 modò lusuum , sed vel cibi capiendi curâ tangantur ?
 Ullâne crassior , quàm rusticorum , & opilionum ,
 indoles ? Et tamen quotusquisque horum est , qui
 de naturæ arcanis , vel Religionis mysteriis , aliis
 que hujuscemodi rebus , minùs sibi notis , sed
 scitu dignis , & suo captui accommodatis
 differentes non percupidè audiat ? Quibus verò
 capacior doctrinarum mens contigit ; ut illos
 videmus in litteras totos se abdere ? ut
 jucundè indagatis , repertisque notionibus
 pasci ? ut novis usque & novis inexplebili
 desiderio inhiare ? ut præ harum ex-
 pe-*

pectatione, & illarum dulcedine improbos pertinacis studii labores minimè advertere? ut demum suam hujusmodi occupationem quibuslibet ludis, spectaculis, otiique oblectamentis præferre, & cum Lactantio profiteri. *Nullum esse suaviorem animæ cibum, quàm cognitionem Veritatis. (L. 1. c. 1.)*

2. Et jure illi quidem. Si enim nemo id bonum negligit, unde sibi plurimum perfectionis excellentiæque inter cæteros mortales accedit; quinam fieri poterit, ut rerum præstantium cognitionem quisquam neglectui habeat, unde secundum nobilissimam sui partem homo perficitur, altiùsque, quàm quibuslibet cæteris seu naturæ, seu fortunæ ornamentis, rudi vulgo præeminet? si nihil charius nobis est, quàm vivere, vitæque ideò facultatibus fungi? Quidni charissimum sit, intelligendi facultatem exercere, in cujus usu, actûque propria hominis vita consistit? Certè mens illud est decus, quo præcipuè ad nostrum Conditorem accedimus: quòque fieri D. Thomas docet, (1. p. q. 93. a. 2.) ut in nobis non qualiscunque, ceu in naturis ratione carentibus, similitudo, sed vera etiam imago DEI eluceat. Unde etiam, licet corporis sensus maximè amemus; nemo tamen unus inter homines fuerit, qui, eò necessita-

tis adactus, ut vel intelligentia, vel exteriori quovis sensu, ipsisque adeò oculis carendum sibi sit, non hos sibi eripi, quàm illa spoliari mallet. Si ergo propensi adeò sumus, ad innatas sensuum appetitiones explendas, tantùmque ideo delectationis in videndo, audiendo, olfaciendo, & gustando experimur; quidni ad explenda nostræ mentis desideria tantò propensiores simus; quantò hanc illis chariorem habemus? Aut quidni plus voluptatis ex discendo, sciendoque, quàm ex quovis corporearum facultatum usu, hauriemus? Ah nimium quàm rapax humani cordis illicium promissio ea est: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Idque adeò probè intelligens hostis tartareus, ad primos generis nostri parentes in fraudem inducendos; *non divitias, ut observatum à D. Laurentio Justiniano est, (Fasc. Amor. c. 10.) non fugitivos honores, non sæculi lenocinia, aut corporis voluptates, seu filiorum propagines pollicitus est: Sed, quod fore efficacius prævidebat, quòque scelesti sui consilii compos evasit, Divinitatis honorem, boni ac mali scientiam spondit: Tristi omnibus sæculis argumento hinc relicto, validissimi instinctus, quo ad sciendum, natura hominis fertur.*

3. Quamvis tamen cujuslibet veritatis per-
ce-

ceptio magneticâ quadam vi nostros ad se animos rapiat; non ideo pari ardore atque studio in earum singulas ferimur: sed tantò in unamquamque propensius; quanto illa, propriæ alicujus dotis suæ gratiâ, quæri dignior videtur: quia nimirum vel objecti nobilitate excellat; vel extraordinariæ miræque novitatis prærogativâ commendetur; vel nos propius attingat; vel necessaria, & apprime utilis cognita sit.

4. Peculiari igitur propensione animi ad pernoſcenda eximæ nobilitatis objecta incitatur. Cùm enim mens nostra, secundùm celebre Philosophi effatum, *cognoscendo fiat omnia*, (L. 3 de Ani.) quæ foris intuetur, quodam quasi penicillo in se repræsentans, atque exprimens; fieri minimè potest; quin, si illustria & præclara illa sint, eorum assimilatio-
ne illustretur: pictæ instar tabulæ, quæ si aliquod nostræ Religionis mysterium, putà corporati Numinis nativatem, aut mortem exhibeat; novam ex ea speciem sacræ rei dignitatem trahit, religiosèque asservatur, & venerationi est intuentibus. Quapropter, ceu quælibet tabula, si sensûs, rationisque esset compos; multò mallet augustam, dignamque aris, & publico cultu sanctissimæ DEI Parentis speciem induere; quàm in probro-

fam, nec finè abominatione intuendam Veneris alicujus, aut Frines imaginem conformari; sic nostra mens quoque satiùs multò habet, objectorum præstantium, quàm ignobilium, éque trivio in se formam exprimere. Atque hinc illa exoritur, adeò ubique communis, magnos Reges, viròsque famâ insignes spectandi cupiditas: quæ non modò densa populi agmina, quacunque illi transeant, conglobare; sed dissitarum quoque regionum incolas, ad eos propiùs noscitanos, excire consuevit. Quemadmodum veterem illam Austri Reginam Hierosolymitanum suscepisse iter accepimus, (3. Reg. c. 10.) non alia de causa, nisi ut Salomonis sapientiam, & gloriam suismet oculis, auribusque usurparet: nec defuisse Livii temporibus, qui ex ultima Hispania Romam properârit, solo intuendi tam egregii Scriptoris studio permotus: Usque adeò, inquit D. Hieronymus, (Ep. 103. ad Paulin.) quos ad sui contemplationem Roma non traxerat; unius hominis fama perduxit: novùmque id videre licuit miraculum, ut tantam urbem ingressi, aliud extra urbem quærerent. Hinc etiam, quod scitè animadversum ab Aristotele est (L. 1. de Part. Anim. c. 5.) quamvis in veri evidentia, suo tanquam in centro noster sciendi appetitus qui-

quiescat; obscuram nihilominus atque tenuem rerum cœlestium notitiam, vel perfectæ inferiorum naturarum comprehensioni anteferimus. Clara verò & exacta supremi illius mundi, siderumque in eo radiantium cognitio tantum sui desiderium in animis sapientum excitat, ut Eudoxus Philosophus, dummodo fas sibi esset, solis orbem conscendere, arcanasque illius proprietates cominus peruestigare, non abnueret, inter optatos perceptarum veritatum fulgores, ceu novus quidam, & præstantioris flammæ amator papilio, penitus mox exuri, absumique: (*Plut. de falsa Epic. jucund.*) dignus, quem verè id professum credamus: cum Plinius, longè ignobilioris curiositatis causâ, nempe ut Vesuvium propiùs exploraret, illius se vaporibus præfocandum objecerit. (*Pl. Ep. 16. Lib. 6.*)

5. Nec minùs ad sui inquisitionem objecta nos alliciunt, si novi quidpiam, mirique, & à vulgi captu remoti contineant. Hæc siquidem dos tantò jucundiorum eorum cognitionem facit; quantò jucundius aucupi foret Phœnicem, unicum toto in orbe sui generis fœtum; quàm quidquid multiplicium, & promiscuarum volucrum est, retibus suis comprehendisse. Quanquam quid ego, jucundam imprimis accidere objectorum hujus-

modi comprehensionem, dixi. Melius, magisque ex eorum merito dixissem, miram quamdam, vel in iis vestigandis aucupandisque percipi jucunditatem: præsertim verò, ubi sublustre aliquod reconditæ veritatis jubar, & quasi crepusculum apparere incipit: moxque ipsa sensim pleniùs suis sese è latibulis pergit evolvere. Ità censuit, scripsitque in hæc verba Orator Philosophus. (*Cic. 4. Acad. Qu.*) *Indagatio ipsa rerum maximarum, tum etiam occultissimarum habet delectationem, si verò aliquid occurrat, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.* Quamobrem nîl miri est, Pythagoram, pro felici geometricæ cujusdam demonstrationis invento, hecatomben Musis sacrâsse: (*Laërt. L. 8.*) famosumque Archimedem, cum in balneo lavanti diu nequidquam quæsitæ arcani perdifficilis veritas derepente affulisset; tantâ indè cumulatam fuisse lætitiâ; ut amentis, ebriique instar, nudus è balneo profilierit, (*Plut. de falsa Epic. Jucun.*) Inveni, clamans, inveni. Neque speciosior videri jam potest, quàm verior, illa Julii Cæsaris apud Lucanum sententia, tanti sibi esse, dummodo ad ignotum eatenus Nili caput certò pervenire liceat, secundissimos, & quàm maximè tunc calentes Pharfalici belli cursus abrumpe-

pe-

pere: *Spes sit mihi certa videndi Nilivicos fontes; bellum civile relinquam.* (Lib. 10.)

6. Illud quoque natura hominis fert, ut ea scire avidius optemus, quæ majorem nobiscum affinitatem habent. Cùm nemo ferè unus sit, qui inter antiquitatis monumenta, non ea potissimum scrutari gaudeat, quæ ad suam pertinent seu gentem, seu patriam: quémque in rerum physicarum studio non apprimè delectet cognoscere, quæ humani corporis, animique sunt propria. Testimonio sit Socrates, qui, animadvertens, quanto ad nos magis faciat vitiorum, & virtutum, quàm elementorum, siderumque scientia, in celebre illud dictum erupit: (Lact: L. 3. c. 10. & Cic. 2. Tusc.) *Quæ supra nos, nihil ad nos:* Physicæque, & Astrologiâ suas sibi habere res jussis, totum indè ad moralem disciplinam se transtulit. Nè multa: quæ præcipuè diligimus, ea cognoscere impensius studemus. Cùm igitur sua quisque, quàm aliena, plus diligat; eorum item notitiam studiosius quærat, & chariorem habeat, necesse est.

7. Denique ingens ad quidlibet addiscendum illecebra est, quæ ex illius perceptione derivatur, utilitas. Alchimia documento esse potest, incertissima artium, imò nè ars quidem, sed fallacissimæ vanitatis profes-

ſio : & tamen , ob promiſſi ſpem lucri , à tam multis , tantòque cum ardore , & impendio quaſita. Quæ , ſi certo ſolidarum præceptionum calle ad propoſitum finem ſpectatores ſuos duceret ; pronum æſtimatu eſt , quinam pro ea conſequenda ſuſciperentur labores & ſumptus : útque illuc ſubitò verſis , ceu ad unicam ſapientiam , humani totius generis ſtudiis , reliqua omnia vacarent minùs quaſtuofarum artium gymnafia.

8. Quævis igitur prædictarum conditionum magnam vim habet , noſtram ad ſe mentem trahendi : tantòque vehementiùs eam trahit ; quantò magis ſuo in genere excellit. Quod ſi objectum extaret , in quo univerſæ huiusmodi dotes , & quælibet ſecundùm maximam ſui generis perfectionem concurrerent ; tunc enimverò alliciendi efficacia modum omnem excederet , appetitio penè in neceſſitatem migraret : nemòque unus eſſet , quin objecti adeò ſingularis , & quibuslibet cæterorum prærogativis tam eximiè referti , notitiam cupidiffimè exquireret. At ubinam tale objectum reperire fas erit ? nuſquam fanè extra DEUM. Cætera ſiquidem , quantò ſecundùm naturæ dignitatem plùs eminent , atque à ſenſibus , & communi hominum intellectu longiùs recedunt ; tantò plerum-

rumque ad nos minùs spectant, minorémque afferunt cognoscentibus fructum. At DEUS, præter summam naturæ excellentiam, & admirabilitatem, intimiori etiam, quàm quodvis ens aliud, necessitudine nobiscum jungitur: cognitúsque, majori, quàm quem ulla alia ex scientia referre fas sit, bonorum proventu nos ditat. singulas age partes intueri accuratiùs libeat.

CAPUT II.

Conditiones prædictas in Dei scientiâ simul omnes, & excellentissimo singulas modo inveniri: quamque ideò hæc appetenda præ cæteris omnibus sit.



T à nobilitatis prærogativa initium ducamus; revocari à nemine in dubium potest, quin hæc DEI scientiam quàm maximè exornet.

Nam neque aliunde, quàm ex objectis, plus, minúsve præstantibus, suam solent scientiæ majorem, minorémve dignitatem nancisci; nec ulla inter has omnes occurrit, quæ objectum tam sublime propositum sibi habeat, quàm quod ipsa intuetur: quæque ideo illam
ja-